ODE

Ad Inſigniſſimum Virum,

MATTHÆUM FRAMPTON,

M. D. *Oxon.*

Per GUILIELMUM HANNES, A. M. Scholæ *Stamfordenſis* in Com. *Linc.* Præceptorem.

——————Si quis tamen hæc quoque, ſi quis
Captus amore leget, Te, noſtræ, Vare, myricæ,
Te nemus omne canet. Virgil.

Ἰητρὸς γὰρ ἀνὴρ πολλῶν ἀνθἀξιος ἄλλων. Homer.

Typis LICHFIELDIANIS, MDCCXXIV.

O D E

AD IMPERATOREM NERVAM TRAIANUM AUGUSTUM.

BRITISH MUSEUM
15 MAY 70

Excellenti, in re Medica, Viro *Matthæo Frampton*, M. D.

O Qui Salutem rite ſciens, manu
Certâ miniſtras, accipe quas parat
Teſtudo grates; muta, in omne,
Quæ, ſine Te, jacuiſſet, ævum.

Syd'nham Medentûm vivit adhuc decus,
Vivetque pulchris *Hanneſii* modis;
Hanneſii, cui, jure flendus,
Grande, tulit, pretium, *Addiſonus*.

Quod Te deceret carmen, & ipſe ego
Lubens dediſſem; ſi ſimilis Lyræ
Mecum eſſet uſus; ſpiritum, ſeu,
Qualem aliis, mihi præbuiſſent

Lucus, fluenta, & prata virentia
Circa vetuſtas, quas poſuit pius
Wainfletus, Ædes : quo camænis
Gratior eſt alibi receſſus?

Plus *Alma*, debet, noſtra *Parens*, Tibi,
Tutela præſens *Oxonidum*, alteris
Quàm, cunque, natis, quos, ad Urbem,
Ducit amor pretii, aut honoris :

Dum Tu hâc reductâ in ſede, Sororibus
Sacrâ novenis, unde ſcientiam es
Nactus, reponas ; & quam ab oris
Hinc procul, ad patriam, attuliſti.

Spem figit in Te Eccleſia, cum premit
Phthiſis, febriſve Evangelii integrum
Interpretem, qui voce, priſcam
Quive Fidem, calamo tuetur,

Ornatque vitâ : illum eripis, inſeri &
Adhuc Beatorum ordinibus negans,
Terris redonas, (fòrs futurum
Grande decus columen|que Mitræ,)

Deo

Deo interim & plaudentibus Angelis. —
Et Muſa, cordi, & quælibet Ars Tibi, eſt;
Quodcunque & humanos in uſus
Dirigat, aut recreet laborem.

Abſtruſa Naturæ inſpicere eſt qui amat;
Quo res graveſcant pondere, ſe explicet
Quâ vi Aura denſata; inque micâ
Vel minimâ patet ut Creator.

Alter capaci in pectore Sidera, &
Cœlum omne volvit; (ſollicitus parùm
Utcunque ſtet vulgaris infrà
Cura, metus, dolor, ira, votum;)

Quâ lege fulgent, & quibus orbibus
Surgunt, caduntque; & tramitem & ordinem,
Et Solis, & Lunæ labores
Exprimit artifici tabellâ.

Humana dum Te fabrica (quæ integra, &
Quæ ſecta numen clariùs indicat)
Exercet intentum, unde morbi
Virus habent, Dolor unde acumen:

Quid corpus uno ſubruit impetu,
Lentè quid ægrum macerat; ut graves
Accendit ignes Febris, & quâ
Turget Hydrops, refluitque, cauſâ.

Flos reſtitutus virgineis genis,
Robur juventæ, priſtina mens ſeni
Fatentur, artes, Te miniſtro,
Quantum alias Medicina vincat.

Dat. è Coll. *Magd. Oxon.*
Ineunte *Januario* 1724.

FINIS.

BRITISH MUSEUM LIBRARY 15 MAY 70